

Si sic tibi eas reddidit, bene sunt. Martinus Friburgi aberat, cum hæc scriberem. Bene vale. Basileæ 27. Augusti 1579.

ὁ γρυναῖος.

## EPISTOLA IV.

**S** Gavifus sum magnopere, cum nuper indicio Patavini cujusdam Studiosi didicissem, te salvum esse, & Bononiæ, cum nobilibus quibusdam Juvenibus, popularibus tuis agere. Hoc enim tibi persuadeas velim, memoria tui & Gabrielis Im Hoff, ac Friderici Tetzeli, me plurimum delectari. Privatim autem tibi gratiam habeo, quod *δέωας* tuæ erga nos benevolentia & liberalitatis pignus esse voluisti. Artificium sane sic certat cum materia, ut multi nostrum valde illud admirentur. Dabitur, spero, ut possim aliquando *ἀντιπελαργεῖν*. Cum autem intellexerim generosum illum & heroicum Virum D. Andream im Hoff (a) diem suum obiisse,

(a) Fuit Senator Reipubl. Noriberg. per annos 56. Duum Vir A. 35, natus 1491. 29. Octobr. Fuit magnus Patronus Matth. Vogelii Abbatis Alberspacensis, & Serenis. Württembergiæ ducis Consiliarii, cui per quinquennium ad continuanda studia Theol. subsidia subministravit vid. Fischlini memoria